MASTER
NEGATIVE
NO. 93-81613-9

AUTHOR:

BREITENBACH, LUDWIG PHILIPP

TITLE:

DE LOCIS QUIBUSDAM HORATII CARMINUM...

PLACE:

WITTENBERG

DATE:

1857

Master Negative #

93-81613-9

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

Breitenbach, Ludwig Philipp, 1813-1885.
...De locis quibusdam Horatii Carminum libri primi commentationes, scr. Prof. Dr. Breitenbach... Wittenberg, Rübener, 1857.
22 p. 26 cm.

At head of title: Programm des Gymnasiums zu Wittenberg...

Restrictions on Use:


TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 14x
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 7/27/93 INITIALS BAP
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT





AIIM


Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202














Programm

des Gymnasiums zu Wittenberg

Ostern 1857,

womit

zu der öffentlichen Prüfung der Schüler

am 1. und 2. April Vormittags 9 Uhr

und

zur feierlichen Entlassung der Abiturienten

am 2. April Nachmittags 3 Uhr

ehrerbietigst und ergebenst

einladet

Dr. Hermann Schmidt,

Director des Gymnasiums.

Inhalt:

Wittenberg, 1857.

Druck von Bernhard Heinrich Rübener.

De locis quibusdam Horatii Carminum libri primi commentationes.

Horatii Carmina a Francisco Rittero nuper edita [1]), postquam in manus meas pervenerunt, perlustranti mihi et si quae nova invenirem in largissima interpretationis copia vel in privatum vel in scholasticum usum in meos commentarios transcribenti ut commentationis, quae annuo programmati praefigenda esset, scribendae munus necopinanti iniungeretur, casu quodam haud importuno accidit. Quum enim permulta a Rittero aliter viderem intellecta et explicata atque ab iis, quae eum antecesserunt, Horatii commentatoribus, nonnulla ex his et ea potissimum, quae ad singulorum carminum argumenta spectarent, satis mihi idonea videbantur, quae hoc libello, quoad fieri posset per hanc plagularum paucitatem, in disceptationem denuo vocarentur. Quas quidem disputatiunculas quoniam a viris doctis non magis legi quam a discipulis meis aliisque poëtae Venusini amicis intelligi volebam, si quae occurrerent parum recondita vel quae trita paene viderentur viris in hac litterarum arena multum versatis, ut veniam eius rei impetrarem fore speravi.

Hor. Carm. I, 1, 29 sqq.:

Me doctarum hederae praemia frontium
Dis miscent superis, me gelidum nemus
Nympharumque leves cum Satyris chori
Secernunt populo, si neque tibias
Euterpe cohibet nec Polyhymnia
Lesboum refugit tendere barbiton.

Per chiasmum haec esse dicta, ut prior pars sententiae conditionalis ad ea, quae proxime antecedunt, referatur, posterior ad remotiora verba *Me doctarum — superis*, bene animadvertit Ritterus. Profitens enim poëta, poësi lyrica se delectari, duo carminum dis-

1) Q. Horatius Flaccus. Vol. prius: Carmina et Epodi. Ad codices saeculi noni decimique exacta commentario critico et exegetico illustrata edidit Franciscus Ritterus. MDCCCLVI. Lipsiae: W. Engelmann.

cernit genera, quorum alteri, quod in levioribus amatoriisque potissimum rebus versatur, Euterpen, alteri, quod graviori plectro surgit et plenius sonat, Polyhymniam praeesse fingit. Haec autem distinctio, quamvis rectissime eam per se fieri quivis Horatii carmina vel obiter percurrens facile concesserit, tamen num vere illis verbis exprimatur, haud scio an quaerat aliquis. *Tibiis* quidem ab Euterpe praebitis leviora et iocosi argumenti carmina significari per se patet, *Polyhymnia* autem *Lesboum barbiton tendere* quo sensu dicatur, paullo difficilius est intellectu. Barbiton enim sive barbitos etsi differt a lyra, ut haec quatuor, illud septem habeat chordas et maior sit atque pleniorem edat sonum, a Flacco tamen adhibetur etiam ubi res amatoriae vel ludicrae canuntur, velut III, 26, 1 sqq.:

Vixi puellis nuper idoneus
Et militavi non sine gloria;
Nunc arma defunctumque bello
Barbiton hic paries habebit.

Neque vero propterea quod *Lesboum* additum est, etiam si hoc vocabulum, ut vult Ritterus, de solo Alcaeo, non simul de Sapphone intelligatur, de gravioris tantum argumenti poëmatis accipienda esse illa verba, quum aliunde cognoscitur, tum maxime ex I, 32, 3 sqq.:

— —, age dic Latinum,
Barbite, carmen,
Lesbio primum modulate civi,
Qui ferox bello tamen inter arma,
Sive iactatam religarat udo
Littore navim,
Liberum et Musas Veneremque et illi
Semper haerentem puerum canebat
Et Lycum nigris oculis nigroque
Crine decorum.

Hoc loco ut Alcaeum etiam vina et amores canentem exemplo sibi esse claris verbis profitetur, sic I, 9, 1 sqq. et Epod. 13 init. hilare illud Alcaei scolium imitatus est:

Ὕει μὲν ὁ Ζεύς, ἐκ δ᾽ ὀρανῶ μέγας
Χειμών, πεπάγασιν δ᾽ ὑδάτων ῥοαί.
— — — —
— — — —
Κάββαλε τὸν χειμῶν᾽, ἐπὶ μὲν τιθεὶς
Πῦρ, ἐν δὲ κίρναις οἶνον ἀφειδέως
Μελιχρόν, αὐτὰρ ἀμφὶ κόρσᾳ
Μαλθακὸν ἀμφιτίθει γνόφαλλον. [1]

Similis generis fuit, ut videtur, Alcaei carmen, cuius unus tantum superest versus:

Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω, [2]

unde sumptum est Hor. Carm. I, 18—exordium:

Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.

Jam inde vides, ubi poetae Lesbii vel modos vel sententias reddat, non semper seria agere Horatium. Pindari potius vestigia nonnunquam eum sequi, ubi altius assurgat, notum est. Eius indolis est huius ipsius, de quo nunc agimus, carminis exordium (I, 1, 3 sqq.), quo expressum est Pindaricum illud:

Ἀελλοπόδων μέν τιν᾽ εὐφραίνοισιν ἵππων
Τίμια καὶ στέφανοι, τοὺς δ᾽ ἐν πολυχρύσοις θαλάμοις βιοτά.
Τέρπεται δὲ καί τις ἐπ᾽ οἶδμ᾽ ἅλιον ναΐ θοᾷ
Σῶς διαστείβων. [3]

1) Frgm. 27. Schneidewin. — 2) Frgm. 36. Schneid. — 3) Frgm. 139. Schneid.

Quod statim ab initio Carminum et in eo quidem carmine, quod prologi loco habetur, splendidum exordium a cycno Dircaeo mutuatus est Horatius, singulari quodam consilio factum videri potest. H. Garckio certe, viro in hac ipsa quaestione non sine laude versato [1]), loco Pindarico veluti stamini cuidam carmen suum Flaccus tanquam subtemen intexuisse visus est, ut Pindarum imprimis sibi in gravioris argumenti carminibus melicis exempli instar esse tacite significaret. Et sunt sane quaedam inter carmina Horatiana etiam praeter I, 12, cuius initium translatum est e Pind. Ol. II. 1 sq. [2]), quae Pindaricam prope sublimitatem spirant, imprimis IV, 2, in quo, quam magnus sit Pindarus ostendens, ipsa re, quam canit, solito altius videtur efferri. Verum non id quaerimus, num in uno et altero carmine poesin Pindaricam imitari voluerit poeta Venusinus, neque id quidem, quo illum successu imitatum esse nos hunc existimemus: quaerimus potius, quid Horatius ipse iudicaverit de Pindaro, num ut Aeolium carmen, sic Pindari poemata ad Italos deduxisse modos [3]) de se ipso glorietur, et quod monstretur digito praetereuntium Romanae fidicen lyrae [4]), num hoc Thebano poetae potius quam Lesbiis poetis ipse tribuat. Atqui de hac re exstat ipsius Horatii testimonium plenum ac iustum in eodem carmine, quo summis laudibus Pindarum effert. Vide exordium:

Pindarum quisquis studet aemulari,
Jule, ceratis ope Daedalea
Nititur pennis vitreo daturus
Nomina ponto,

et v. 25 sqq.:

Multa Dircaeum levat aura cycnum,
Tendit, Antoni, quoties in altum
Nubium tractus. Ego apis Matinae
More modoque
Grata carpentis thyma per laborem
Plurimum circa nemus uvidique
Tiburis ripas operosa parvus
Carmina fingo.

Ibi disertis verbis poesin Pindaricam grandiorem esse declarat, quam quae aequari, nedum superari a quoquam possit: se poeta ipse cum Pindaro comparatum esse parvum fatetur. Adde Epist. I, 3, 9 sqq.:

Quid Titius, Romana brevi venturus in ora,
Pindarici fontis qui non expalluit haustus,
Fastidire lacus et rivos ausus apertos?
Ut valet? ut meminit nostri? Fidibusne Latinis
Thebanos aptare modos studet auspice Musa?

Unde, si nihil amplius, hoc necessario consequitur, „Pindarum imprimis sibi in gravioris argumenti carminibus melicis exempli instar esse" [5]), neque alibi nec I, 1, 3 sqq. Horatium voluisse significare. Adspiravit quidem aliquoties ad „spiritus magnificentiam" [6]) illius, ut Anacreontis Simonidis, Stesichori carminum rationem alibi imitatus est, et illius non minus quam aliorum poetarum graecorum vel sententias expressit, vel orationis ornatum in suum convertit usum, ut optimo iure apis more se in melica poesi versari dicere potuerit [7]): at immortalem sibi gloriam non vindicat nisi inde quod ad morem Alcaei et Sapphonis primus carmina composuerit. Vide III, 30, 10 sqq.:

1) Q. Horatii Flacci Carminum lib. I. collatis scriptoribus Graecis illustrati specimen. Hal. 1853. p. 1.
2) *Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι,*
Τίνα θεόν, τίν᾽ ἥρωα, τίνα δ᾽ ἄνδρα κελαδήσομεν; Quo modo et consilio Pindarum Horatius imitatus sit, egregie exposuit Th. Arnold: Abhandlung über die griech. Studien des Horaz. Halle 1856. p. 12 sqq. — 3) Carm. III, 30, 13 sqq. — 4) Carm. IV, 3, 22. — 5) Garck. l. l. p. 1. — 6) Quintil. X, 61. — 7) V. Garck. p. XV. sqq. Arnold. l. l. p. 14 sqq.

Dicar, qua violens obstrepit Aufidus
Et qua pauper aquae Daunus agrestium
Regnavit populorum, ex humili potens
Princeps Aeolium carmen ad Italos
Deduxisse modos.

IV, 3, 10 sqq.:

Sed quae Tibur aquae fertile praefluunt
Et spissae nemorum comae
Fingent Aeolio carmine nobilem.

Unde facile colligas, de eodem Aeolio carmine cogitasse poetam ibid. v. 21 sq.:

Quod monstror digito praetereuntium
Romanae fidicen lyrae.

Adde Epist. I, 19, 32 sqq.:

Hunc [1]) ego, non alio dictum prius ore, Latinus
Vulgavi fidicen; iuvat immemorata ferentem
Ingenuis oculisque legi manibusque teneri.

Haec si recte sunt disputata, iam intelligitur, cur I, 1, 34, ubi ea erant memoranda, quibus magni aliquid perfecisse et singularem sibi laudem comparasse videretur, ad significanda gravioris argumenti carmina *Lesboum* potius *barbiton* quam Thebanas fides commemoraverit Horatius. Quintilianus quidem X, 1, 63 de Alcaeo sic iudicat: „in eloquendo — brevis et magnificus et diligens et plerumque Homero similis: sed in lusus et amores descendit, maioribus tamen aptior.“ Atque videmus profecto, non solum plura Flacci poemata, quibus res gravissimae tractantur, ad exemplum Alcaei, si vel metra respicis vel sententias, esse composita [2]), sed etiam tantum non omnia, quae rempublicam attingunt vel ad deorum cul-

1) Alcaeum — 2) Vide imprimis Alcaei frgm. 18. Schneid.:

*'Αϱ' οὐ συνίης *) τῶν ἀνέμων στάσιν;*
Τὸ μὲν γὰϱ ἔνθεν κῦμα κυλίνδεται,
Τὸ δ' ἔνθεν· ἄμμες δ' ἂν τὸ μέσσον
Naΐ φοϱήμεθα σὺν μελαίνᾳ,
Χειμῶνι μοχθεῦντες μεγάλῳ μάλα·
Πὰϱ μὲν γὰϱ ἄντλος ἱστοπέδαν ἔχει,
Λαῖφος δὲ πᾶν ζάδηλον ἤδη
Καὶ λακίδες μεγάλαι κατ' αὐτό·
Χόλαισι δ' ἄγκυϱαι·

Quae mutato metro Horatius I, 14, 1 sqq. sic imitatus est:

O navis], referent in mare te novi
Fluctus? O quid agis? Fortiter occupa
Portum. Nonne vides, ut
Nudum remigio latus
Et malus celeri saucius Africo
Antennaeque gemant etc.

Compara etiam I, 37, 1 sq.:

Nunc est bibendum, nunc pede libero
Pulsanda tellus etc.

cum Alcaei frgm. p. 258. Schneid:

Νῦν χϱὴ μεθύσθην καί τινα πρὸς βίαν
Πίνην, ἐπειδὴ κάτθανε Μύϱσιλος.

Adde quod Porphyrione teste I, 10 ad exemplum Alcaei factum est, quem, ut ex Pausan. VII, 20, 2 intelligitur, pressius h. l. quam alibi solet, secutus est, quanquam primi versus:

Χαῖϱε Κυλλάνας ὁ μέδεις· σὲ γάϱ μοι

*) Sic emendavit Garckius p. 28 vulg. *'Ασυνέτην καί.*

tum aliasve res maiores spectant, iis metris, quae ab Alcaeo et Sapphone nominantur vel certe ab iis adhibita atque exculta erant, esse condita.

Ita apparet, verba *Lesboum barbiton* huic loco esse quam maxime apta. Ne qua relinquatur dubitatio, *Euterpae*, quae „dulciloquos calamos flatibus urget“ [1]), opponitur *Polyhymnia*, hymnorum musa. Distingui igitur levioris plectri carmina, in quibus pangendis Anacreontis vel Ibyci vel Mimnermi aliorumque [2]) poëmatia, ut videtur, Horatio obversabantur, et graviora carmina, quae doctum poëtam deceant, ad morem Lesbium facta, recte animadvertit Ritterus: nisi quod de solo Alcaeo, non de Sapphone simul cogitasse contendit Horatium, quippe qui hanc sibi exemplum fuisse nusquam pronuntiaverit. Verum sane quidem est, illud dicar — princeps Aeolium carmen ad Italos deduxisse modos, si singula verba premuntur, ad Sapphonem non posse referri, quia Sapphico metro ante Horatium iam Catullus usus fuerat, verum est etiam eo metro, quod a Sapphone nominatur, ne Alcaeum quidem abstinuisse [3]), ut ab hoc Horatius metra Sapphica mutuari potuerit. At vero mirum esset, si non eum fontem adiisset, qui et fama et praestantia praeter ceteros se commendaret, si quidem istos versus, a qua nomen duxerunt, ab eadem si non inventos, maxime tamen excultos esse satis constat. Horatium autem, quamvis Catullus iam pauca tentasset, si huius versus Sapphici cum Horatianis comparantur, etiam Sapphicum carmen, in quo non minus quam in Alcaico novam plane dictionem excoluit [4]), primum ad Italos deduxisse modos merito dici posse quis est qui non concedat? Atque quanti poëtriam Alcaeo aequalem fecerit Flaccus, ipse docet IV, 9, 10 sqq.:

Spirat adhuc amor
Vivuntque commissi calores
Aeoliae fidibus puellae,

et magis etiam II, 13, 21 sqq., ubi ex omni poëtarum numero praeter Alcaeum neminem nisi Sapphonem commemoratu dignam habuit et utrumque carminibus sacro silentio dignis vel orci labores ac miserias consolantem facit. Nec desunt omnino Sapphonis fragmenta, quae Horatius vel imitatus est vel expressit. Compares haec: Sapph. frgm. 69. Schneid.:

Κατθανοῖσα δὲ κείσεαι οὐδ' ἔτι τις μναμοσύνα σέθεν
Ἔσσετ' οὐδέποτ' εἰς ὕστεϱον· οὐ γὰϱ πεδέχεις βϱόδων
Τῶν ἐκ Πιεϱίας, ἀλλ' ἀφανὴς κὴν 'Αίδα δόμοις
Φοιτάσεις πεδ' ἀμαυϱῶν νεκύων ἐκπεποταμένα.

Hor. I, 4, 15 sqq.:

Jam te premet nox fabulaeque Manes
Et domus exilis Plutonia: quo simul mearis,
Nec regna vini sortiere talis etc.

Sapph. frgm. 3. Schneid.:

'Αστέϱες μὲν ἀμφὶ καλὰν σελάναν
Ἂψ ἀποκϱύπτοισι φαεννὸν εἶδος,

Θυμὸς ὔμνην, τὸν κοϱυφᾶς ἐν αὔγαις
Μαῖα γέννατο Κϱονίδᾳ μιγεῖσα,

qui ab Hephaestione (Gaisford. ed. II) cap. 14. a. p. 79 servati, a Bergkio (Annal. Antiqu. a. 1856 p. 208) sic restituti sunt, nihil paene commune habent cum hymni Horatiani exordio:

Mercuri facunde nepos Atlantis,
Qui feros cultus hominum recentum
Voce formasti etc.

1) Auson. Idyll. 20, 4. — 2) V. Garck. p. XVII sq. Arnold. p. 1 et 9. sq. Estrei. Prosop. Hor. p, 22 sqq. — 3) Vide hymni in Mercurium fragmentum modo allatum. — 4) Garck. p. 13.

'Οππότ' ἂν πλήθοισα μάλιστα λάμπῃ
Γᾶν ἔπι πᾶσαν. [1])

Hor. I, 12, 46 sqq.:

micat inter omnes
Julium sidus velut inter ignes
Luna minores.

Sapph. frgm. 2. Schneid.:

Φαίνεταί μοι κῆνος ἴσος θεοῖσιν
Ἔμμεν ὤνηρ, ὅστις ἐναντίος τοι
Ἰζάνει καὶ πλησίον ἆδυ φωνεύ-
σας ὑπακούει
Καὶ γελαίσας ἱμερόεν, τό μοι μὰν
Καρδίαν ἐν στήθεσιν ἐπτόασεν·
Ὡς ἴδω γάρ σε βροχέ', ὥς με φωνᾶς
οὐδὲν ἔτ' ἴκει.
Ἀλλὰ κὰμ μὲν γλῶσσα Fέαγε, λεπτὸν δ'
Αὐτίκα χρῷ πῦρ ὑπαδεδρόμακεν
Ὀππάτεσσι δ' οὐδὲν ὄρημ', ἐπιῤῥόμ-
βεῦσι δ'ἄκουαί.
Ἐκ δὲ Fίδρως κακχέεται, τρόμος δὲ
Πᾶσαν ἀγρεῖ, χλωροτέρα δὲ ποίας
Ἔμμὶ, τεθνάκην δ' ὀλίγω 'πιδεύην
φαίνομαι ἄλλα.

Unde Horatius sumsit non solum I, 22, 23 sq. illud

Dulce ridentem —
Dulce loquentem,

sed etiam mirifico quodam artificio multis verbis in pauca contractis I, 13, 5 sqq. hos finxit versus:

Tum nec mens mihi nec color
Certa sede manet, humor et in genas
Furtim labitur, arguens
Quam lentis penitus macerer ignibus [2]).

Quae quum ita sint, licet de Sapphone tam certum Horatii non exstet testimonium quam de Alcaeo (Epist. I, 19, 32), quid tandem impedit, quin I, 1, 34 *Lesboum barbiton* ad Sapphonem non minus spectare quam ad Alcaeum putemus [3])? Quanquam autem hac in re a Ritteri sententia discedendum est, hoc tamen (in prooemio huic carmini praemisso) vere dixit, ea verba, de quibus nunc agimus, nec prius scripta esse posse, quam lyricis carminibus praeter ceteros aptum sese paremque esse sentire coeperit Horatius, nec posteaquam poësi lyricae toto animo operam dare desierit. Illud tempus, ante quod hoc carmen ortum esse nequeat, certius definiri eo opinatur, quod post carmen 26 eiusdem libri scriptum esse necesse sit. Illud enim carmen primum esse eorum, quae strophis Alcaicis condita sunt, colligit ex v. 10 sqq.:

1) Ubi contraria quae defecit sententia per δέ particulam inchoanda fuerit necesse est haec fere: ubi vero suam lucem obscuraverit luna, minora sidera splendescent. — 2) V. Garck. p. VI, sq. qui et alia, quae Horatius a Sapphone mutuatus est, congessit p. 5. 10. 12. Arnold. p. 6. sqq. — 3) Dictionibus Lesboum barbiton, Lesbium plectrum, Aeolium carmen utrumque significari etiam Arnoldus p. 6 censet: quod tamen Epist. I, 19, 28. hunc — dictum non hos — dictos scriptum esse dicit propterea quod Horatius „bei gleichsam officiellen Erklärungen (velut I, 32, 3 sqq.) wirklich nur als Nachfolger des Alcäus erscheinen wollte, id minus placet.

— hunc fidibus novis
Hunc Lesbio sacrare plectro
Teque tuasque decet sorores.

His verbis novum genus lyricum a Lesbiis poëtis ad Romanos traductum significari nemo non videt. Sic I, 17, 18 fides Teia carminum genus Anacreontis proprium et Aeoliae fides II, 13, 24 amatoria Sapphonis carmina denotant. At vero novum dici illud genus, quo primus Romanorum usus esset Horatius, cur in primo tantum potuerit, cur non in quovis carmine versibus Lesbiis composito, nequaquam liquet. Quid quod, si fides Lesbiae nisi in eo carmine, cui primum adhibebantur, dici non debebant novae, ne recte quidem poëta, ut novis fidibus sacraret Lamiam, excitasset Pimpleam, si quidem iisdem fidibus, h. e. metro Alcaico, hoc ipsum carmen (I, 26) iam compositum erat? Magno Lachmanni nomine, qui ad Lucret. IV, 1, p. 213 hanc de carmine I, 26 sententiam primus, quod equidem sciam, in medium protulit, ne deceptus sit Ritterus, vereor. Hoc certius etiam evincitur, si annum, quo illud carmen factum sit, inquiritur. Ritterus quidem cum Dillenburgero annum 30 a. Ch. n. intelligit, quo anno Tiridatem, Parthorum regem, a Phraate pulsum in Syriam ad Augustum confugisse Dio Cassius LI, 18 narrat. Sed iterum ad Augustum fugisse Tiridatem praeter Dionem Cassium LIII, 33 etiam Justinus XL, 5 testis est. Hic „Scytharum maximo auxilio" Phraatem in regnum restitutum esse refert. Tiridates autem „audito adventu Scytharum cum magna amicorum manu ad Caesarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem profugit." Quum non dubium sit, quin Horatii rex gelidae orae, qui Tiridatem terreat, Scytharum rex intelligendus sit, non anno 30, sed a. 25, quo versatus est Augustus in Hispania, ortum esse carmen I, 26, pro certo habendum est. Inde igitur apparet, falsam esse eam verborum novis fidibus interpretationem, quam cum Lachmanno proposuit Ritterus, quandoquidem nihil certius est, quam trium priorum librorum pleraque carmina, imprimis I, 37: Nunc est bibendum, II, 1: Motum ex Metello, II, 7: O saepe mecum et alia Alcaico metro composita pluribus annis ante a. 25 esse nata.

Rectius iudicare videtur Ritterus, si non demum a. 19 a. Ch. carmen I, 1 scriptum dicit, quo tempore tres carminum libros publici iuris factos esse cum aliis statuit. Immo iam circa annum 24 poësi lyricae renuntiasse Horatium gravissimis argumentis a Carolo Franckio [1]) comprobatum existimo. Paullo ante hoc tempus quominus natum esse I, 1 credamus, quid prohibeat ego non video, neque id concedam Rittero, ex omni numero carminum, quum edere vellet, hoc delectum esse, quod aptius quam cetera primum locum tenere posse visum esset. Hoc, opinor, non iudicasset vir doctus, nisi non ante annum 19 in publicum editos esse tres carminum libros putasset. Etenim non prologi solum, sed dedicationis etiam causa factum esse hoc carmen, ipsa verba perspicue arguunt. Duo priores versus paucis, sed gravissimis verbis gratias indicant, quae patrono dulcissimoque amico a poëta debeantur. Maecenatis praesidio factum est, ut, dum alii alia studia sequerentur, ipse poësi lyricae, cui natum se sentiebat, totum se posset dedere, indeque secretus a vulgo divina prope gaudia hauriret. Finitur carmen in eam sententiam, ut placere se velle dicat carmina sua docto amico, cuius laude si digna visa fuerint, immortalem se gloriam esse adepturum sperat. Haec ita sunt comparata, ut dubitari nequeat, quin eo demum tempore, quo de edendo carminum fasciculo cogitavit poëta, scriptum sit hoc carmen et eo quidem consilio, ut libello praefixum Maecenati et carmina et auctorem commendaret.

1) Fast. Horat. p. 63 sqq. Verissima sunt, quae disputavit Fr. de carminibus I, 3 et I, 12. Si I, 3 de Virgilio poëta agitur, statim post mortem dilectissimi amici hoc carmen, nulla mortis mentione facta, scriptum esse atque editum, credi nullo modo potest. Ergo aut ad alium nescio quem Virgilium, aut priori tempore, quo de itinere in Graeciam faciendo fortasse cogitavit, scriptum est. Nec quae I, 12, 45 sq. leguntur, post mortem Marcelli, qui a. 23 obiit, sic instituta evulgasse Horatium, persuadere mihi queo, de qua re infra plura disputabimus.

Carm. I, 2, 13—20:

Vidimus flavum Tiberim, retortis
Littore Etrusco violenter undis,
Ire deiectum monumenta regis
Templaque Vestae:
Iliae dum se nimium querenti
Jactat ultorem, vagus et sinistra
Labitur ripa, Jove non probante, u-
xorius amnis.

Urbis inundationem, quae his verbis describitur, Tiberini, qui *Iliae* sive Rheae Silviae propter Julii Caesaris, cognati sui, caedem vehementer dolenti obtemperet, ira effici, veteres iam scholiastae intellexerunt nec recentiorum interpretum quisquam negavit. Vides igitur, quam perperam hic locus ab iis accipiatur, qui maris Etrusci aestu Tiberim, quominus in mare se effunderet, prohibitum et ab ostio retortum sinistram ripam inundasse contendunt. Eos fugit, sic maris potius quam Tiberini iram depingi, et eo quod fluminis undae maris tumultu magis quam suo impetu repelluntur et super ripam feruntur, irascentis Tiberis imaginem exstingui omnino ac tolli. Recte igitur cum Nauckio et Obbario Ritterus *littus Etruscum* dextram Tiberis ripam esse dicit, unde, quod altior est quam sinistra, crescens fluminis aqua retorquetur et ad sinistram, ubi urbs Roma sita est, quae propter humiliorem situm inundationibus saepe erat obnoxia, violentius decurrit. Haec autem inundatio quo anno facta esset, multum a viris doctis atque acriter disceptatum est. Plerique, inter quos Mitscherlichius et Orellius, cogitaverunt de anno 22. a. Ch. n., quia quae de hoc anno Dio Cassius LIV, init. [1]) narrat, Horatii verbis ad amussim respondere viderentur. Sed qui tam, non dicam implacabilis, sed insanus profecto esset Tiberini furor, qui, postquam Julii Caesaris interfectores non solum iam dudum sua manu erant caesi, sed adversarii etiam omnes superati atque vindicati, iterum iterumque in Romanos saeviens prorumperet? Namque saepius illo temporis tractu ripis suis excessit Tiberis, certissime annis 27 et 23 a. Ch. [2]) Quid igitur de his pluribus inundationibus statuendum? Num, quotiescunque intra illud viginti fere annorum spatium Tiberis Romam inundavit, Tiberini iram agnovisse Horatium putemus? At sic propria huius fictionis poëticae vis ac venustas attenuatur non solum, sed, si quid ego video, plane deletur. An anni 22 aquae maiores fuerunt quam priorum annorum? Non minus perniciosa annorum 27 et 23 diluvia fuisse testatur Dio Cass. LIII, 20: *ὁ γὰρ Τίβερις πελαγίσας πᾶσαν τὴν ἐν τοῖς πεδίοις Ῥώμην κατέλαβεν, ὥστε πλεῖσθαι,* et ibid. 33: *ὅ τε Τίβερις αὐξηθεὶς τήν τε γέφυραν τὴν ξυλίνην κατέσυρε καὶ τὴν πόλιν πλωτὴν ἐπὶ τρεῖς ἡμέρας ἐποίησε.* Res ipsa docet, eam Tiberis inundationem respectam esse a poeta, quae a Caesaris caede proxima fuisset, atque id tempus intelligendum esse, quod bellum civile antecessit, ex sententiarum ordine consequitur. Quod enim inundationis descriptio belli civilis commemoratione, non haec illa excipitur, id non temere esse factum, consentaneum est. Diris naturae prodigiis propter Julii Caesaris necem terrentur Romani ac castigantur. Graviori deinde poena affliguntur pugnis a civibus inter se gestis. Ita rem cogitatam esse ab Horatio, viderunt iam Acro et Porphyrio, luculenter exposuit Franckius [3]). Ergo inundatio illa accidit paullo post Caesarem interfectum ac certe ante pugnam Philippensem. Etenim posteaquam Brutus et Cassius perierunt et reliqui, qui ab

1) *ἥ τε πόλις πελαγίσαντος αὖθις τοῦ ποταμοῦ ἐπλεύσθη καὶ κεραυνοῖς ἄλλα τε πολλὰ ἐβλήθη καὶ οἱ ἀνδριάντες οἱ ἐν τῷ Πανθείῳ.* — 2) Dio Cass. LIII, 20 et 33. Franck. Fast. Hor. p. 140. — 3) Fast. Hor. p. 137 sqq.

eorum partibus stabant, illa clade exstincti fuerunt [1]), nihil erat, quod Tiberinus Caesaris ultorem se iactaret. Num vero anno 44, an 43 tantam cladem Romae intumescens Tiberis attulerit, haud facile est ad dirimendum. Dio Cassius enim, quum inde ab anno 54 a. Ch. n. creberrima Tiberis diligenter notaverit diluvia, duorum illorum et eos proxime sequentium annorum nullam commemorat inundationem. Quod eo maioris esse momenti videtur, quod idem Dio alia tot prodigia, quae pro portentis haberentur, anno 44 facta et eadem quidem, quorum in Horatii carmine fit mentio, XLV, 17 fusius refert. Huius rei iusto minus rationem habuerunt et Franckius et Ritterus, quum confidentius asseverarent, alius anni inundationem intelligi non posse quam quadragesimi quarti. Subveniunt sane quidem Acronis et Porphyrionis testimonia [2]): at utriusque affirmationi ut magna fides sit de ea re, quam Horatii aequales negent, magnopere vereor. Negationis enim vim habere hac in re Tibulli [3]), Virgilii [4]) Ovidii [5]) silentium, pro certo affirmare ausim. Enumerantes nimirum illi, quae Caesaris mortem subsecuta sint prodigia, nullo verbo attingunt crescentem Tiberim. Atque ne forte illos poëtas, qui illius anni „mala signa" tam diligenter colligerent, in Tiberis inundatione nihil ominis agnovisse dicas, videas velim Virg. l. l. v. 481 sqq.:

Proluit insano contorquens vertice silvas
Fluviorum rex Eridanus camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit [6]).

Padum igitur exundantem commemorat Virgilius: Tiberim cur non commemoret, alia causa cogitari nequit, nisi quod anno 44 Tiberis non exundaverit [7]). Itaque nihil reliquum est, nisi ut a. 43 vel 42 facta sit ea urbis inundatio, quam describit Horatius. Eam a reliquis scriptoribus et poëtis, qui eas tantum res, quae Caesaris necem proxime secutae sunt, deorum prodigia intellexerint, silentio praetermitti, non est quod miremur: Horatius qui *amnem uxorium*, dum inulta esset Caesaris caedes, irascentem depingere volebat, etiam anni 43 vel 42 diluvio, si modo ante pugnam Philippensem factum esset, pro suo consilio uti potuit.

Non idem statuendum arbitror de reliquis portentis, quae initio carminis recensentur. Hoc docet primum statim verbum Jam, quod referas oportet ad id tempus, quo scriptum est hoc carmen. Scriptum autem esse anno 29 a. Ch. n. infra videbimus. Ergo usque ad hunc fere annum [8]) territos esse variis naturae prodigiis Romanos queritur poëta. Nam vindicta Caesaris quanquam eius adversariorum exitio erat peracta, bello tamen civili, quod originem duxerat ex occisione Caesaris, novam nec minus gravem Romani commeruerant culpam. Inde exorditur carmen poëta ita, ut in medias res statim nos ducat. Ex variis autem et crebris ca-

1) Cf. Ovid. Fast. III, 705 sqq.:

At quicunque nefas ausi, prohibente deorum
Numine, polluerant pontificale caput,
Morte iacent merita. Testes estote Philippi,
Et quorum sparsis ossibus albet humus.

2) Acro ad v. 1: „C. Caesaris mortem significat, quo in senatu occiso plurimae tempestates, nives et grandines fuerunt, quo tempore et inundatione Tiberis dicitur Roma laborasse." Porph.: „Post C. Caesarem — multa portenta sunt visa, Tiberis etiam crevit." — 3) II, 5, 71 sqq. — 4) Georg. I, 466 sqq. — 5) Metam. XV, 782 sqq. Quanquam Ovidius pro suo consilio, ut observat Ritterus, quae post caedem Caesaris secuta sunt, antecessisse finxit. — 6) Padi exundationis etiam Dio Cass. XLV, 17 mentionem fecit: quid quod vel ex Tiberi pisces ad Ostia in littus eiectos esse refert diluvium ne verbo quidem commemorans? — 7) Hoc eo confidentius affirmaverim, quod non solum quae per varias Italiae regiones et in Sicilia, sed etiam quae in longinquis Germaniae oris evenerint illo tempore, poëta non reticenda ratus est. — 8) Hoc intellexit iam Porphyrio: „Haec autem omnia (portenta) vult videri facta in ultionem occisi principis et poenam eorum, qui bella civilia agere non desinebant." Ergo etiam inter bella civilia portenta sunt visa.

lamitatibus, fulminibus, grandinibus, nivibus, fluminum exundationibus, quibus per quatuordecim fere annos variae imperii Romani regiones *(gentes)* vexatae erant, postremo loco (v. 13—20) id collocatur factum, in quo potissimum, quae prima deorum irae causa esset, manifestum, ut poëta quidem rem fingit, erat indicium. Deinde transit ad civium proelia, quae, ut ad ulciscendam Caesaris necem divinitus immissa erant civitati Romanae, ita, ut modo dixi, novis Romanos implicabant sceleribus. Neque tamen verbis

Audiet pugnas vitio parentum
Rara iuventus

solum prius bellum civile, quod clade Philippensi finitum est, sed totam etiam, quae illud secuta est certaminum usque ad proelium Actiacum, seriem significari, non ego monerem, nisi priori carminis parte ad v. 40 pertinente „biennium a fine anni 44 usque ad exitum anni 42“ poëta complexus esse Rittero videretur. Falsam esse hanc opinionem vel ex eo intelligitur, quod supra monui de significatione eius particulae, qua inchoatur carmen, praesertim quum Ritterus non anno 29, sed 22 assignandum hoc carmen existimet. Accedit quod versum 37:

Heu nimis longo satiate ludo

de duorum annorum certaminibus nemo, opinor, accipiet.

Carm. I, 2, 38 sqq.:

Quem iuvat clamor galeaeque leves
Acer et Mauri peditis cruentum
Vultus in hostem.

Postquam T. Fabri coniectura Marsi, quae Bentleio unice placuit, reiecta a recentioribus Horatii interpretibus vetus scriptura *Mauri* restituta est, verba *Mauri peditis* nunc ab omnibus, quod sciam, sic accipiuntur, ut Maurum equo deiectum intelligant. Sic vero „raram infantiam dicendi“ Horatio imputari dicens Ritterus ipse novam interpretandi viam ingressus est. „Respicit,“ inquit, „poëta equestris pugnae genus a se in bellis civilibus visum, nobis in Mauris non plane incognitum, sed aliunde melius compertum: quippe Germanorum haec erat consuetudo, ut equestrem militiam velocissimi peditum comitarentur et mixti proeliarentur.“ Hunc pugnandi morem Mauris quoque fuisse intelligi ait ex Sallust. Jug. c. 59: „neque diutius Numidae resistere quivissent, ni pedites cum equitibus permixti magnam cladem in congressu facerent; quibus illi freti — implicare ac perturbare aciem; ita expeditis peditibus suis hostes paene victos dare.“ Illius pugnae certum exemplum hoc Horatii loco nos habere contendit: hoste enim vulnerato *(cruento)* statim occurrere Maurum peditem equestres vires comitatum, qui saevo vultu ac nullo misericordiae affectu adversarium vulnere invalidum gladio transfigat. Convertit: und der stechende Blick eines Mauren zu Fuße gegen den blutenden Feind. Saevitiae magis quam fortitudinis exemplar exhiberi recte monet contra Bentleium, qui hac maxime de re falsa deceptus opinione *Mauri* non ferendum censebat, quanquam de Maurorum indole ne recte quidem iudicasse ex iis locis, quos affert Orellius, satis apparet. Inde Mauri cum Romano certamen idoneum esse ad describendam belli saevitiam facile cognoscitur. „Infantia“ autem Horatii num maior evadat, si cum Orellio, quam si cum Rittero illa verba interpretamur, iam videamus. Istud pugnandi genus Mauris minus fuisse usitatum ipse concessit Ritterus: haud pauci igitur huius rei imperiti ut quid vellet poëta intelligerent, verendum erat. Sed demus, Romanos melius novisse quod nobis, nisi Sallustii exstaret locus, plane ignotum esset, quis, quaeso, vel ita ex Horatii verbis istum sensum eliciat?

Nemo, credo, ne coniectando quidem assequetur, *Maurum peditem* eum esse, qui hostem ab equite Mauro vulneratum accurrens trucidet. Duo enim sunt, quae cogitando addi iubet Ritterus: peditem Maurum comitari equitem Maurum, et peditem Maurum, qui vulneratum hostem conspexerit, accurrere. Haec uno verbo *peditis* Flaccum fuisse expressurum, ne ii quidem sibi persuadebunt, qui tabulam aliquam pictam poëtae obversatam esse cum Orellio opinantur, si quidem carmen, quod non nisi ex picta tabula intelligatur, non minus vituperandum est quam tabula, quae ut possit intelligi carmine egeat. Nulli quidem usui est, quod Dillenburgerus equites, qui equos reliquerint, nonnunquam pedites dici exemplis (Liv. VII, 8. Ovid. Met. XIV, 363) probat. Etenim aliqua profecto laboraret obscuritate hic locus, si pro *Mauri* alius cuiuslibet populi equitatu minus laudati positum esset nomen atque si ex reliquis verbis cognosci non posset, loqui Horatium de Mauro ab hoste oppresso. *Mauri* vero nomen, quum solo equitatu ac tantum valeret ista gens, ut pedestres eorum copiae ne commemorentur quidem a scriptoribus, per se equitem denotat, non aliter ac nostris temporibus sub nomine Kosack nemo non equitem intelligit. Oppressum autem ab hoste Maurum et eo peditem factum ut facilius intelligas, efficit quod hostis dicitur *cruentus*, h. e. hostium antea caesorum cruore conspersus, quod hoc quidem loco idem fere valet atque crudelis. Is hostis Maurum ex equo deiectum cogitandus est hasta iam percussurus. Instanti igitur morti quod non modo impavidum, sed acrem atque iracundum opponit vultum, id est quo Mars delectatur. Haec demum imago Horatio, haec demum Romano Marte est digna. Namque quod Martem *iuvat*, idem iuvare ac decere Romanos consentaneum est. Ea vero, quam Ritteri interpretatio exhibet, species quum pulchri sensum laedit, tum a Romanorum moribus non minus abhorret quam a nostratium humanitate: hostem enim vulneribus opertum trucidare immanium quorundam barbarum etiamnunc est, gentis martigenae, quae generositatis cultique animi aeque magna erat ac virtutis bellicae exemplis, non fuit.

Carm. I, 2, 41 sqq.:

Sive mutata iuvenem figura
Ales in terris imitaris, almae
Filius Maiae, patiens vocari
Caesaris ultor.

Cognomine *Caesaris ultoris* gaudere Octavianum dici a poëta cum aliis interpretibus Franckius censet ubi in consilium, quo hoc carmen scriptum sit, diligentissime inquirit. „Ergo“, inquit [1]), „verisimile fit, eum Julii Caesaris mortem omnium malorum, quae perpessa esset Romana civitas, primariam causam significare et Octaviano propterea potissimum gratificari voluisse, quod Caesaris ultor esset.“ Haec Franckii, vel scholiastae potius Cruquiani — nam iam is hanc oden in honorem et gratiam Augusti ultoris scriptam esse animadvertit — opinio eo nititur, quod v. 18 Tiberis Iliae *ultor* appellatur et confirmari illi videtur testimoniis Dionis Cassii LIII, 4: *ἵνα καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων καταμάθητε τοῦθ᾽, ὅτι οὐδ᾽ ἀπ᾽ ἀρχῆς δυναστείας τινὸς ἐπεθύμησα, ἀλλ᾽ ὄντως τῷ τε πατρὶ δεινῶς σφαγέντι τιμωρῆσαι, καὶ τὴν πόλιν ἐκ μεγάλων καὶ ἐπαλλήλων κακῶν ἐξελέσθαι ἠθέλησα*, et Ovidii Fast. V, 577:

Si mihi bellandi pater est Vestaeque sacerdos
Auctor, et ulcisci numen utrumque paro:

---

1) Fast. Hor. p. 138.

Mars, ades, et satia scelerato sanguine ferrum
Stetque favor causa pro meliore tuus.
Templa feres et me victore vocaberis Ultor.

Addi poterat Suet. Octav. 10: „Nihil convenientius ducens quam necem avunculi vindicare tuerique acta, confestim, ut Apollonia rediit, Brutum Cassiumque et vi necopinantes et quia provisum periculum subterfugerant, legibus aggredi reosque caedis absentes deferre statuit“, et eiusdem Suet. ibid. 29: „Aedem Marti bello Philippensi pro ultione paterna suscepto voverat“.

Ex his locis apparet sane, non solum eo tempore, quo contra avunculi interfectores arma gerebat, sed etiam posteaquam Antonio devicto summa unus imperii potitus erat, Caesaris ultorem se gloriatum esse Octavianum. Nam ea oratio, quam l. c. eum Dio habentem facit, ad annum 28 a. Ch. pertinet. Sed inde nihil efficitur ad probandum id, quod Franckius probaturus erat. Augustus apud Dionem aperte discernit ea, quae ad conservandam rempublicam fecerit, ab iis, quae susceperit ad ulciscendum J. Caesarem. Ovidium quoque, non minus quam Suetonium, de eo tempore loqui, quo primum iuvenis pia sustulerat arma, versus ostendunt qui antecedunt. Si ad hoc tempus respiciens posthac de „ultione paterna“ gloriatus est Augustus, inde nullo iure colligendum est, „in honorem Octaviani, patris ultoris“ scriptum esse totum hoc carmen, in cuius priori tantum parte agitur de iis, quae spectant ad vindicandam Caesaris necem. Duabus enim carmen I, 2 constat partibus. In priori, ut supra p. 9 sq. expositum est, describuntur insoliti quidam in natura rerum tumultus a diis propter J. Caesaris occisionem irascentibus per longam annorum seriem immissi, et deploratur summa miseria, in quam bellis domesticis Caesaris mortem subsecutis Romana civitas erat deiecta. In hac igitur parte de iratis diis loquitur poëta et de Tiberino Caesaris ultore, non de Octaviano J. Caesarem ulciscente. In altera parte quaeritur, tam miserae reipublicae conditioni quis deus velit succurrere. Humanae enim opes tantis rebus non sufficiunt. Invocantur, ut commissa scelera expiandi munus suscipiant, deinceps Apollo, qui, augurandi scientia praeditus, qua re coelestis ira placetur, optime docere possit, Venus, Romuleae gentis origo ac patrona, Mars, Romanorum auctor, qui, ut commovet, sic componit bella, Mercurius [1], hominum et deorum interpres ideoque ad reconciliandos cum superis homines praeter ceteros idoneus. In hoc, quem induta Octaviani persona in terra versari fingit, acquiescit poëta atque orat, ut sero in coelum redeat et in terra potius honorari ac diligi gaudeat. Vides, in hac carminis parte omnia relata esse ad deos placandos et ad expianda scelera, nihil ad ultionem, nisi quod Octavianus, sub cuius persona Mercurius latet, *patiens vocari Caesaris ultor* appellatur. Haec verba non eodem sensu dicta esse, quo Augustum Dio dicentem facit *τῷ — πατρὶ δεινῶς σφαγέντι τιμωρῆσαι*, nec reddi debere: „der du dich gern Rächer des Cäsar nennen läßt“ [2], persuasum habeo. Talis enim sensus prorsus repugnat quum totius carminis instituto,

1) Inde patet, male pro nominativo accipi *filius*, pro vocativo *patiens*, quod facit Nauckius neque improbat Obbarius. Postquam Apollinem, Venerem, Martem allocutus est poëta, postremo loco nemo non quarti nominis, non hominis, sed dei vocativum exspectaverit. Praeterea nimis contorta nec ab omni parte sana est Nauckii interpretatio: nam non *patiens vocari Caesaris ultor* sive Octavianus, sed Mercurius iuvenem mutata figura imitatur. — 2) Obbarius: „Cäsars Rächer ließ er sich gern nennen; aber er sollte auch noch die Römer an den Parthern rächen.“ Ergo Parthos etiam ulciscendos esse significari *ultoris* nomine vir doctus censet. Atque tanti adeo momenti facit Parthorum huic carmini bis iniectam mentionem, ut, quum Parthi (Suet. Caes. 79) ex fatis Sibyllinis nisi a rege vinci non posse dicerentur, in eum potissimum finem hoc carmen scriptum esse contendat, ut a consilio imperium deponendi quod, si non habebat, simulabat certe Octavianus altero anni 29 dimidio (Dio Cass. LII, 1 sqq.), averteretur. Cuius quidem consilii ne minima quidem in hoc carmine vestigia me potuisse investigare ingenue fateor. Nec temporum rationi haec opinio convenit, quia ineunte, non exeunte anno 29 hoc carmen scriptum est, id quod infra demonstrabitur.

tum Mercurii, cuius personam in terra agit Augustus, naturae atque indoli. „Pateris quidem te Caesaris ultorem vocari, sed nunc, ubi Caesaris caedes iam dudum vindicata est, Mercurii pacificatoris munus suscipiens pacatam ac bene ordinatam, qualem Julius Caesar voluit, rempublicam tu nobis dare velis.“ Hoc, nisi omnia me fallunt, dicere poëta voluit. Totum igitur carmen in honorem et gratiam Octaviani, non ultoris, ut vult Franckius cum aliis, sed pacificatoris scriptum est.

Carm. I, 2, 45 sqq.:

Serus in caelum redeas diuque
Laetus intersis populo Quirini,
Neve te nostris vitiis iniquum
Ocior aura
Tollat. Hic magnos potius triumphos,
Hic ames dici pater atque princeps,
Neu sinas Medos equitare inultos,
Te duce, Caesar.

Ex his potissimum versibus repetenda esse indicia, quibus, quo anno ortum esset hoc carmen, cognosceretur, iam is vidit qui ante hos centum quinquaginta fere annos primus in enucleandis operum Horatianorum temporibus subtiliori studio versatus est, Massonus [1]), Bentleii aequalis. Ac miro prope fato factum videtur, ut, quem annum Massonus natalem huius carminis esse voluit, annum dico 22 a. Ch. n., ad eum, posteaquam gravissimis argumentis post annum 29 scriptum esse non posse Franckius [2]) evicit, nunc redierit novissimus Horatii editor, Ritterus. Quam ob rem ut denuo anni 29, quo, me iudice, scriptum esse carmen I, 2 necesse est, suscipiamus causam, operae esse pretium videtur.

Qui ante Ritterum pro anno 22 pugnaverunt [3]) maxime eo nisi sunt, quod Tiberis inundationem, quae v. 13 sqq. describitur, eodem anno accidisse putabant. Hoc, quod perperam fecisse supra p. 8 demonstratum est, ne statuit quidem Ritterus, qui cum Franckio illud diluvium anno 44 assignat. Anni 22 indicium inesse dicit in verbis *Neve te — ocior aura Tollat*, quae referri contendit ad grave morbi mortisque periculum, unde praeter spem Augustus anno 23 evaserit incolumis; alteram eiusdem anni notam invenire sibi videtur in versibus extremis *Neu sinas Medos equitare inultos, Te duce, Caesar:* anno 22 nimirum expeditionem in orientem et Parthos Augustus paravit. Medorum sive Parthorum commemoratio, quam h. l. non aliter ac v. 22 accipiendam duco, ut de anno 22 cogites, nequaquam cogit, quoniam toti temporis spatio, quo, quam Crassus a. 53 acceperat, clades nondum erat vindicata [4]), talis exhortatio conveniens erat et apta. Accedit, quod iam a. 30 atque iterum a. 25, ut supra p. 7 commemoratum est, Parthos castigandi Augusto data erat occasio. Nuntius [5]) maxime de Tiridate, qui a Phraate fugatus in Syriam ad Octavianum venerat, initio anni 29 Romam allatus ad scribenda illa verba Horatium movere facile potuit. Nec plus ponderis habet, quod verbis *Neve te — Tollat* morbum, quo a. 23 correptus est Augustus, significari dicunt. Illa enim optatio, ubi princeps tanquam civitatis conservator celebratur, rei naturae,

1) Q. Horatii Fl. Vita etc. Lugd. 1708. — 2) Fast. Hor. p. 140 sqq. — 3) Jahnius, Mitscherlichius, Doeringius, Orellius alii. — 4) Vindicata autem est 20 demum anno, quo Phraates signa Romanis olim erepta sponte sua remisit. — 5) Dio Cass. LI, 20.

ut **Franckius** ait, quam maxime est consentanea, praesertim quum ille semper fere parum firma valetudine fuerit, cuius rei ipse testis est apud Dionem Cass. LIII, 8: *αὐτός τε γὰρ καὶ πεπόνημαι καὶ τεταλαιπώρημαι, καὶ οὐκέτ' οὔτε τῇ ψυχῇ οὔτε τῷ σώματι ἀντέχειν δύναμαι.* Ii porro, quibus annus 27 placuit [1]), afferunt quod Dio LIII, 20 de Tiberi hoc anno totam humiliorem Romae partem inundante refert, ad quod factum versus 13—20 quum eas ob causas, quae supra p. 8 expositae sunt, tum propterea referri non possunt, quod ex eodem Dionis loco intelligitur, Tiberim proxima nocte post intumuisse, quam Caesar **Augusti** nomine insignitus fuit [2]), quod novum nomen quin inter *patris* et *principis* nomina interposuisset poëta, si post illas res carmen scripsisset, dubitari nequit. Quod vero ex verbis *Hic ames dici — princeps* colligendum putant, ortum esse hoc carmen non prius quam Octavianus princeps senatus renuntiatus est, h. e. non ante annum 28 [3]), mihi quidem et, ut nunc video, **Obbario** (Hor. Carm. ed. 1856) quoque probavit **Franckius**, non principis senatus, sed **imperatoris** cognomen h. l. intelligendum esse, quod assumpsit ille anno 29 [4]). Verum enimvero haec omnia parum habent momenti ad dirimendam hanc de natali huius carminis anno quaestionem. Primaria, ad quam omnes carminis partes referuntur, sententia continetur versu 25 sq.:

Quem vocet divum populus ruentis
Imperi rebus?

Quae vocatio quem ad finem fiat, indicat v. 29:

Cui dabit partes scelus expiandi —?

Scelus autem *expiare* nihil aliud est quam certamina domestica componere, rempublicam ordinare, omnibus miseriis, quibus inter et post bella civilia Romani laborabant, mederi. Unde apparet, illud *Quem vocet* etc. non tum potuisse quaeri, quum respublica non solum iam dudum erat pacata, sed potentissimo unius imperio confirmata ac pluribus legibus, quae ad salutem publicam pertinerent, quoad potuit istis temporibus, sanata. Ergo post annum 27, quo summum in decem annos imperium suscepit Augustus, ortum esse carmen non potest. Nam hoc anno de **ruente imperio** loqui ineptum fuisset. Quid enim? iam anno 28 **scelera** fuisse **expiata** credere debemus, si fide non indignus est Dio LIII, 4, qui eodem anno Octavianum haec facit loquentem: *'Αλλ' ἀφίημι τὴν ἀρχὴν ἅπασαν, καὶ ἀποδίδωμι ὑμῖν πάντα ἁπλῶς, τὰ ὅπλα, τοὺς νόμους, τὰ ἔθνη, οὐχ ὅπως ἐκεῖνα ὅσα μοι ὑμεῖς ἐπετρέψατε, ἀλλὰ καὶ ὅσα αὐτὸς μετὰ ταῦτα ὑμῖν προσεκτησάμην· ἵνα καὶ ἐξ αὐτῶν τῶν ἔργων καταμάθητε τοῦθ', ὅτι οὐδ' ἀπ' ἀρχῆς δυναστείας τινὸς ἐπεθύμησα, ἀλλ' ὄντως τῷ τε πατρὶ δεινῶς σφαγέντι τιμωρῆσαι καὶ τὴν πόλιν ἐκ μεγάλων καὶ ἐπαλλήλων κακῶν ἐξελέσθαι ἠθέλησα.* En habes ipsum principem, quod sua opera aucta respublica magnis et crebris erepta sit malis, de se praedicantem. Recte igitur **Franckius** anno 29 hoc carmen assignavit et ineunti quidem, non quod cum eodem viro docto post actum mense Sextili huius anni triplicem triumphum, quae in versibus 49 sqq. insunt, dici non potuisse putem; nam quid impediverit, quin oraret poëta, ut nollet Octavianus brevi in coelum redire sed in terra potius magnos triumphos (futuro etiam tempore) agere et pater atque princeps dici amaret? — sed quia, posteaquam ingenti cum civium plausu ille ex Asia Romam redierat atque ex senatus decreto summis et divinis honoribus celebratus et perpetua potestate tribunicia honoratus erat [5]), non commode quaerebatur: *Quem vocet — populus? Cui dabit partes — Jupiter?* Apte vero ita quaeritur ante reditum Octaviani. Quanquam enim post victoriam Actiacam de principatu

---

1) Praeeunte Sanadono, Weichertus, Grotefendus et olim Obbarius, — 2) Franck. Fast. Hor. p. 146. — 3) Dio Cass. LIII, 1. — 4) Dio Cass. LII, 41. — 5) Haec Octaviano paullo ante reditum a senatu decreta esse narrat Dio Cass. LI, 19.

illius nemo iam dubitabat, tamen priusquam accepisset illos honores et ipsam redux intrasset urbem, cuius **scelera** imprimis erant **expianda**, poëta certe sumere sibi poterat veluti dubitanter interrogare: *Quem vocet — populus —?* Si antequam rediit Octavianus, compositum est hoc carmen, tum illud *Venias* aptius dictum est atque convenienter refertur ad versum 43: *Filius Maiae,* ut non opus sit cum **Orellio** et **Rittero** post *Caesaris ultor* pro simplici duplex punctum ponere et habere quae sequuntur verba pro apodosi. Sua enim interpungendi ratione „adulationis crimen vitari" dicit **Ritterus**. Quod vehementer mireris, quandoquidem, etiamsi „tota *φαντασία* conditionali particula *sive* inducta est", verba *Serus in coelum redeas* utique tanquam deum laudant principem. Unde intelligitur, sive apodosin efficere versus 45 sqq., sive per se stare velis, nihil referre ad solvendam de adulationis crimine quaestionem. Ceterum iam anno 30 et publicas et privatas libationes Octaviano decretas esse et ipsis calendis Januariis anni 29 sancitum, ut in hymnos cum diis immortalibus adscriberetur, tradit Dio Cassius LI, 19. 20 [1]), ut crimen adulationis in senatum populumque Romanum potius cadat quam in poëtam.

Restat, ut de **Ritteri** sententia pauca subiiciamus. Is mira ratione, ut p. 10 vidimus, quae versibus 1—40 continentur omnia refert ad annos 44—42 a. Ch., scriptum autem putat carmen a. 22. Magis etiam mirum videtur, quomodo „hanc rerum tanto temporis spatio distantium iuncturam" explicari velit. „Horatius", inquit, „imaginem Caesaris Augusti, qualem hunc anno urbis 732 cognitum habuit, rara audacia ad ea tempora transtulit, quae caedem Julii Caesaris a. 710 patratam proxime secuta sunt. Hinc apparet, cur **iuvenem** vocaverit, cur Julii Caesaris **ultorem** celebraverit, quanquam cum haec scribebantur, ultioni diu satisfactum iam erat et Caesar iuvenis esse desierat." Qua enim ratione poëta quae viginti annis ante facta **Ritterus** censet tanquam recentia narret, nequaquam liquet, et quae tandem sit ista „audacia", qua excusari possit, quod a. 22 iam diu pacata et confirmata respublica velut adhuc labefactata et expiatore egens describatur, id ex **Ritteri** verbis patebit profecto nemini.

Carm. I, 3, 1 sqq.:

Sic te diva potens Cypri,
Sic fratres Helenae, lucida sidera, etc.

Duplex est ratio, qua particulam *sic* explicant. Ante **Nauckium** interpretes *sic* acceperunt pro *hac conditione*, ita ut conditio, sive id quod optaretur, absolute dicerent sequi v. 7: *Reddas incolumem* etc. Comparant autem I, 28, 25: „sic — Venusinae Plectantur silvae te sospite" vel **Tibull.** II, 5, 121: „Annue: sic tibi sint intonsi Phoebe capilli". Qui loci ab eo, de quo hic agimus, eo differunt, quod id, quod loquens sibi vult fieri ab altero, priorem, quod vero, si illud factum erit, vovet alteri, posteriorem locum obtinet. Sic demum perspicua evadit oratio. Praeterea ne sana quidem haec est sententia: **Propitii dii et is ventus**, qui ex **Apulia Graeciam versus spirat** (*Iapyx*), **te, navis, regant ea conditione, ut mihi reddas amicum incolumem.** Quid enim, si non vult incolumem reddere? Nolenti navi num forte iniquos deos adversumque vel qui non in Graeciam sed in alias regiones depellat eam vel adeo maris rupibus illidat ventum optat Horatius? At vero quod damnum navi, idem precatur amico, qui navi vehitur! Peius etiam consulunt huic loco, qui, quum eandem vim conditionalem particulae *sic* tribuant, *finibus Atticis* cum *Red-*

---

1) **Franck.** p. 145.

das iungunt. Etenim quid absurdius poëtae imputari potest, quam haec allocutio: te, navis (qua vehitur meus amicus) Iapyx regat, h. e. secundus ventus te in Graeciam deducat ea conditione, ut amicum finibus Atticis reddas incolumem, sive: amicum meum, navis, finibus Atticis reddas incolumem: sic te Iapyx regat. Scitior profecto navis esset talis responsio: immo, o bone Flacce, fac, ut obstrictis aliis ventis Iapyx me regat: sic demum in me recipio, animae tuae dimidium incolume redditum iri finibus Atticis. Probabilior certe prodiret sensus, si precaretur poëta navi, ut in posterum, quocunque vela esset datura, secundis regeretur ventis, si modo nunc incolumem redderet Virgilium Graeciae. Verum, ut nunc verba sunt comparata, nihil reliquum est, nisi ut cum Nauckio, Obbario, Rittero *sic* interpretemur: unter diesen Umständen, vel potius: quoniam iter iam ingressuram te video. Non dissimilem vim habet eadem particula Tibull. I, 4, 1 sq.:

Sic umbrosa tibi contingant tecta Priape,
Ne capiti soles, ne noceantque nives,

ubi sic significat: quoniam sub Jove nudum hiberno tempore te video, Priape. Praeterea Obbarius post, non ante *finibus Atticis* interpungendum censet, quod apud Horatium alibi debere non sine dativo ponatur, quod ita refellitur a Rittero, ut „debitum consequi ex credito" dicat. Recte. Vel ipsa natura verborum *Debes* et *Reddas*, ut hic quidem collocata sunt, ut ad eundem dativum referantur, postulat. — Inde vero quod profectio tantum, non simul in patriam reditus commemoratur, ad longiorem in Graecia commorationem Virgilium iter paravisse, non sequitur, nec Ritterus, qui de Virgilii in Graeciam anno 19 facto itinere cogitat, ad refutandam Franckii argumentationem, cuius supra p. 7 not. mentionem feci, quidquam profert.

Carm. I, 12, 19 sqq.:

Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores,
Proeliis audax. Neque te silebo,
Liber etc.

Alii verba *Proeliis audax* cum sequentibus iungunt, Ritterus cum antecedentibus verbis, ut mihi videtur, recte. Bentleius, qui primus ita interpunxit hos versus, quamquam fatendum sit, ad ultimos Indos victorem Bacchum cum Satyrorum suorum Maenadumque thyaso penetrasse et in gigantomachia sub leonis imagine Rhoetum lacerasse, tamen non ab uno alterove facinore, sed a perpetuo Bacchi more et charactere dandum hic fuisse epitheton dicit. A poëtis enim Bacchum tanquam omnium deorum mollissimum et meticulosissimum fere semper traduci. Haec, quae verissime disputavit criticorum princeps, quod a recentioribus interpretibus neglecta paene videantur, iure mireris. Quae de aliis diis in medium proferantur, si respicimus, non solum proprias cuiusque numinis ac praecipuas commemorari facultates et virtutes, verum singulorum deorum tales etiam exhiberi apparet imagines', quales artificum operibus expressae Romanorum oculis ubique fuerunt obviae: summus Jupiter, qui deorum hominumque atque naturae res vel capitis nutu regit, Diana rapido cursu fugientes feras insequens, Apollo certam nervo imponens sagittam, Castor equorum domitor, Pollux pugnis nobilis, uterque ut nautarum patronus super capite stella insignitus. Hae species Horatii menti obversatae sunt, quum haec scribebat. Qualis igitur Bacchus depingendus erat hoc quidem loco? De pugnantis Bacchi vetere imagine, nihil, quod sciam, memoriae proditum est, nisi

quod Macrobius Sat. I, 1, 19 tradit: „Bacchus ἐνυάλιος cognominatur, quod est inter propria Martis nomina. Colitur etiam apud Lacedaemonios simulacrum Liberi patris hasta insigne, non thyrso", quem locum affert Orellius. Certantem quidem Horatius contra gigantes illum inducit II, 19, 21 sqq., sed leonis unguibus horribilique mala, qua ipsa re indicatur, molli atque imbelli deo, ut ad pugnam fieret aptus, alienam ac bellicosissimae beluae naturam fuisse induendam. Ad hunc igitur locum nihil attinet, quod illic, ubi omnia Bacchi de diis et hominibus merita esset laudanda, etiam bellicae laudis fit mentio. In hoc enim carmine, quo eae potissimum deorum virtutes celebrantur, quibus uniuscuiusque natura maxime cernitur, Bacchi, si ulla, ea laus erat attingenda, quam nactus est vini cultura per orbem propagata, unde pulsa vitae tristitia humano generi cultiores mores nati sunt [1]). Hoc agnovit Obbarius, quum scriberet: „An Pallas reiht sich Bacchus, welcher durch den Weinbau Bildung, Geselligkeit und Freude beförderte:" tamen *Proeliis audax* iungit cum sequentibus verbis, quasi ad istam *Liberi* laudem illud epitheton quidquam conferat. Ut vero a propria Bacchi indole abhorrent illa verba, sic accommodatissima sunt ei deae, quae a Virgilio [2]) appellatur:

armipotens belli praeses Tritonia virgo.

Hanc causam, qua Bentleii interpunctio commendatur, obiter tantum attingit Ritterus, alteram fusius, nec tamen satis diligenter exposuit. Membrorum enim concinnitas, si post *Proeliis audax* interpungitur, tantum abest, ut deleatur, ut restituatur vel certe evadat perfectior. Ordinem enim ducunt Jupiter et Pallas ceteris diis maiores. Uti post hos qui primum locum obtinet deus (Liber), sic in proxima stropha heroum princeps (Alcides) et v. 33 qui ex mortalibus primus commemoratur (Romulus) simpliciter nominati sunt. Adde quod eorum, qui deinceps ex liberae reipublicae civibus primi laudantur, Reguli et Scaurorum item nuda ponuntur nomina. Libero et Alcidae epitheto carentibus, alteri duo dei, alteri duo heroes subiuncti sunt sua quisque laude ornati. Haec omnia si accuratius considerantur, parum ponderis habet quod stropharum aequalitas turbari videatur, si quae ad Bacchum pertinent verba a medio versu, non ab eius initio incipiunt. Immo advertas, sic quoque stropharum divisioni bene consuli. Etenim deorum laudatio tribus, heroum duabus continetur strophis arcte inter se cohaerentibus. Postquam deinde mortalium commemoratio quatuor strophas explevit, postremis tribus strophis de Augusto agitur tanquam uno totius orbis moderatore. Vides, praemissis tribus, quae prooemium efficerent strophis, rem ita esse institutam, ut ex sequentibus duodecim strophis sex deorum et Augusti, totidem heroum et mortalium laudes complecterentur. Quod fortuito factum esse nemo contenderit, qui, quantam diligentiam Horatius in rebus per singulas carminum partes distribuendis collocare solitus sit, non ignoret.

Carm. I, 12, 31 sq.:

Et minax, quod sic voluere, ponto
Unda recumbit.

Quum plurimi iidemque optimi libri mss. quia, alii vel quod vel qui praebeant, ea, quam Orellius et Ritterus receperunt, lectio ceteris praeferenda videtur. Scriptura quom, quamquam, si litteras tantum spectas, haud longe recedit a quod, tamen omnium fere, quae occurrunt in variis editionibus, lectionum, me iudice, longe deterrima est ac prorsus non ferenda. Poëta dicit: simulac Dioscurorum stella nautis refulsit, tempestate

1) Cf. Carm. I, 18, 1 sqq. III, 21, 9 sqq. — 2) Aen. XI, 483.

subito sedata, unda, quae modo intumescens saxis est illisa, in mare recumbit. Splendidae huic sententiae cui bono intrusam putemus enunciationem quum sic voluere? Etenim velle Ledae filios auxilio esse laborantibus nautis et fluctus sedare indicat stella refulgens, atque eodem quidem temporis momento velle, quo alba refulsit stella, coniunctione simul perspicue exprimitur. Quare non solum otiose, sed inepte interposita essent verba quum (i. e. quo tempore vel simulac) sic voluere, quoniam non modo auxiliandi voluntas, verum iam praesens etiam auxilium cognoscitur, ubi primum post nubila Geminorum sidus conspectum est. Apparet, potentiam describi Dioscurorum, quorum sola voluntas efficit, ut vel vehementissimus dometur maris tumultus. Hoc minus commode exprimit qua sic voluere, quam Oudendorpii coniecturam Peerlkampius recepit: nam in tali sententia sic satis supervacaneum est nec loci mentio ad hunc locum quidquam attinet. Fortius certe Castoris et Pollucis potentia indicatur verbis *quod sic voluere.* Merito autem Peerlkampius damnat sic di voluere, quod Bentleio imprimis placuit. Huic similibusque formulis locum esse ubi ratio vel iudicium non appareat, bene observat Servius ad Virg. Aen. III. 1. Usurpantur enim, aut ubi accepto aliquis malo afflictus deorum voluntati cedit, velut Virg. Aen. V, 49:

Jamque dies, nisi fallor, adest, quem semper acerbum,
Semper honoratum, sic di voluistis, habebo,

aut ubi mirum atque horribile aliquid fit, quod quare quaque ratione fiat, supra humanum captum est, ut Ovid. Met. IV, 660 sqq.

Tum partes auctus in omnes
Crevit in immensum, sic di statuistis, et omne
Cum tot sideribus coelum requievit in illa.

In Horatii locum neque haec, neque illa ratio quadrat. Nam tantopere non contra naturam est vel subita fluctuum post tempestatem sedatio, ut aspecta vel cogitata horrorem incutiat. Praeterea ista locutio adhibetur semper de certo quodam facto, nunquam de eo, quod soleat interdum fieri. Nec denique deorum mentionem in hoc versu ferri posse, recte monet Ritterus, modo aliam, cur ferri non posset, addidisset causam. Obiicit enim Bentleio: „heroas iam laudat poëta, non deos", tanquam de aliis diis, non de Ledae filiis cogitaverit Bentleius, qui hac ipsa in re lapsus est, quod formula sic di voluere, quae non nisi de coelestibus diis usurpatur, Castoris et Pollucis voluntatem potuisse significari putabat. Non dubium videtur, quin scriptura sic di nata sit e glossa librarii, qui verbi *voluere* subiectum notare voluit. Sic Porphyrio: „*voluere:* dii, vel pueri Ledae". Postquam dii e margine in verborum contextum migravit, ut notissima illa elocutio evaderet, in locum voculae *quod* cessit sic. — Obbarius scripsit qui sic voluere. His verbis quid faciendum sit, nescio; nec alii, opinor, videbunt, quomodo in tali verborum iunctura pronomen relativum locum tenere possit pro demonstrativo.

Carm. I, 12, 45 sq.:

Crescit occulto velut arbor aevo
Fama Marcelli.

Ante Orellium plurimi commentatores Marcellum minorem, Augusti sororis filium et generum intellexerunt. Idem faciunt etiamnunc Dillenburgerus et Düntzerus. Cum Orellio autem Nauckius cogitat de M. Claudio Marcello, Hannibalis aequali et adversario. Ritterus iam redit ad M. Marcellum, Juliae coniugem, qui mortuus est anno 23 a. Ch. n.

Mihi quidem haec opinio simpliciter sequenda non magis videtur quam illa. De Marcello enim ista dicta esse non possunt mortuo propterea quod famam iuvenis anno vitae ad summum vicesimo defuncti, qui, quamvis multis et egregiis virtutibus laudatus, pro republica tamen magni nihil gesserat, post mortem crescere nemo profecto dixerit. Contrarium placet Rittero, qui „de mortuo", inquit, „Marcello si haec accipiantur, adulatio in Flacco non ferenda vitatur". Haud scio an adulantem Flaccum facilius feramus quam insipientem: nam defuncti adolescentis famam qua re crescentem cogitemus ne Ritterus quidem explicat. Vivi autem Marcelli, de quo aequales optime sperarent, qui tam carus esset Augusto, ut sibi successorem eum destinasset, potuisse crescere famam concedendum est. Verumtamen ne de vivente quidem Octaviae filio cogitandum esse, totius loci ratio docet. Etenim inter tanta nomina, quae propter summa de patria merita celebrantur, quo iure iuveni, qui nullam nisi bonae exspectationis commendationem haberet, dari locus potuerit, nequaquam liquet. Accedit quod mortuorum tantum nomina recensentur. Nam *Julium sidus* non de tota gente Julia, ad quam refertur a Mitscherlichio, Dillenburgero, Obbario, sed de uno Julio Caesare accipiendum. Erat enim praeter Augustum, cui in extremis strophis singularis honor tribuitur, commemorandus e gente Julia nemo nisi Julius Caesar. Neque alibi totae gentes sive familiae, sed singuli homines dicuntur sidera. Hoc probant vel ipsi, quos Mitscherlichius in suam causam affert, loci: Ovid. Trist. II, 167 sq.:

Utque tui faciunt, sidus iuvenile, nepotes,
Per tua perque sui facta parentis eant.

Ovid. Ep. ex Ponto III, 3, 2 sq.

Si vacat exiguum profugo dare tempus amico,
O sidus Fabiae, Maxime, gentis ades.

Priore loco L. et C. Caesares, Augusti nepotes, sidus iuvenile dicuntur, altero Fabius Maximus suae gentis sidus vocatur. Loco Horatiano si qua relinquatur de significatione Julii sideris dubitatio, tollitur eo, quod interfectus Caesar in stellam crinitam, quae septem per noctes post eius caedem refulsit, mutatus esse ferebatur. Inter mortuos autem, dum in vivis erat, poni non poterat Marcellus. Ergo non magis de vivente quam de mortuo Augusti genero commode accipi Marcelli nomen apparet. Iam quaeritur, num antiquioris Marcelli commemoratio sententiarum nexui melius conveniat. Ac primum concedamus quidem oportet, priscae virtutis virorum seriem optime eum claudere, qui postquam ex instanti interitu civitatem eripuerat, splendidissima vitae laude nullo crimine maculata honestissimam pro patria mortem nactus est, id quod nec Scipionibus, nec C. Mario aliisve, qui post illum fuerunt reipublicae propugnatores, contigit. Bene etiam fit, quod eum, qui Romanum imperium ab externi infestissimique hostis invasione vindicavit, ordine excipiunt Julius Caesar et Augustus, a quibus civitati domesticis tumultibus turbatae morumque corruptione depravatae pax reddita et publica salus, quoad istis posset fieri temporibus, restituta erat. Per se igitur optime h. l. se habet M. Claudii Marcelli commemoratio. At vero fama eius quomodo Horatii tempore crescere dici potuit? Apposite Peerlkampius „recte", inquit, „Ennius de Fabio, qui propter cunctationem ab omnibus fere culpabatur, sed rumores non ante salutem ponebat: Ergo magis magisque viri nunc gloria claret. Nam viventi invidia iustas laudes detraxerat". Quae quum ita sint, hoc intelligitur: laudando quidem veteri Marcello locum hic fuisse, sed verba *crescit — Fama* in eundem non quadrare; a Marcello, Horatii aequali, dum vivebat, illa verba per se quidem non abhorrere, sed inter ceteros, qui hic enumerantur, viros locum obtinere eundem per se non posse. Hac tanta ex difficultate qua via se expedirent laborantibus subvenit interpretibus eorum opinio, qui, quoniam de alteroutro non possent, de utroque accipienda esse verba *crescit — Fama Marcelli* putant. Eo pertinet coniectura Peerlkampii, qui scribi mavult Marcellis, sed ita ut ne

sic quidem omnes difficultates evitari dicat. Fateor, mihi non displicere hanc emendationem: at mutatione non opus est, et habet venusti aliquid omnibus codicibus stabilita lectio, quod mutata librorum scriptura tollitur. Orellius, Peerlkampii, ut videtur, vestigia secutus explicat sic: „Grata posteritas semper magis magisque honorat memoriam Marcelli illius antiqui, etiam propter Augusti ex sorore nepotem avunculo et populo caram". Propter nepotem magis magisque honorari contra veritatem esse dictum videtur, quia Syracusarum expugnatoris gloria maior erat, quam quae adolescentuli virtutibus augeri posset. Propius a vero abest Obbarii haec interpretatio: „Crescit. Allmählicher Uebergang auf Octavian. Daher zuerst die Erwähnung des Siegers bei Nola und Eroberers von Syracus, Marcellus, und des C. Julius Cäsar. Römische Leser wußten, daß das Bild crescit occulto velut arbor auf den jüngeren Marcellus, Octavians Schwester- und Adoptivsohn, anspielen sollte, welcher zwar 725 noch nicht in's öffentliche Leben getreten war, aber doch schon in seiner Zurückgezogenheit die schönsten Hoffnungen für die Zukunft verhieß (occulto crescit), so daß der Ruhm seines Ahnen auf ihn übergegangen zu sein schien". Rectius quidem non augeri dicit gloriam Marcelli propter nepotem, sed transferri quodammodo ab illo in hunc. Quamquam ne ita quidem quae vera sit notio et vis verbi *crescit*, satis apparet. Etenim, nisi omnia me fallunt, non tam hereditate quasi accipere, quam continuare veteris Marcelli famam Augusti generum dicere voluit Horatius. Magni alicuius viri gloriam nepotis laude quamvis augeri non possit, posse tamen continuari, quis negaverit? Verbum autem *crescit* ut sic h. l. accipi possit, illata facit arboris occulto aevo crescentis imago. At enim de his ipsis verbis nequaquam consentiunt viri docti. Orellius et Obbarius *occulto*, quod separant a subsequentibus verbis, habent pro adverbio, quod hic „in seiner Zurückgezogenheit", ille „sensim" interpretatur. Reliqua verba *crescit arbor aevo* qua ratione explicanda sint, silentio praetermittunt. Alium sensum praebere non possunt nisi hunc: arbor crescit suis annis, ut crescens fama comparetur cum arbore annis labentibus crescente: quae quidem comparatio tam nude posita, nimis ieiuna videtur. Expectas certe longo aevo vel simile quid: nam per primos aevi sui annos arbor non occulto sive sensim, sed celeriter crescit, magis adulta demum ita, ut incrementa per singulos annos vix animadvertas. Si vero cum Obbario *occulto* convertis „in der Zurückgezogenheit", omnem comparationis vim deles. Quis enim sic loquetur: Es wächst der Ruhm des Marcellus in der Zurückgezogenheit, wie ein Baum mit den Jahren, sive im Laufe seiner Lebensjahre? Ut *occulto* cum *aevo* iungamus et verborum collocatio commendat, et sensus postulat. Nec tamen verba *crescit occulto velut arbor aevo* id significare queunt, quod Mitscherlichius eliciendum censet: „velut arbor crescit non animadversis incrementi temporibus et momentis, i. e. sensim et occulte", vel quod vult Nauckius: „wie ein Baum, der unvermerkt immer fortwächst". Non enim de occultis incrementis, sed de occulto aevo arboris poëta loquitur. Rectius interpretatur Ritterus: „von verborgener Lebensdauer" [1]). Melius tamen dixisset: von verborgenem sive unbekanntem Lebensalter [2]), quandoquidem nihil refert dicere quot annos arbor crescendo porro expletura sit, sed quod temporis spatium adhuc creverit esse occultum: nam illud de novella quoque arbore dici potest, hoc de vetusta dicitur arbore, qualis h. l. significanda erat. Habes grandaevae et ingentis arboris imaginem. Cum ea apte con-

---

1) Ritterus quidem censet, non incertam quandam arborem dicere poëtam, sed omnibus civibus urbis Romae bene cognitam, ficum Ruminalem, quae Remi Romulique infantiam texerat et Horatii temporibus in comitio fori Romani vivebat, semper, ut credebant, duratura, de qua re testes affert Dionys. Hal. A. R. I, 79. Tacit. Ann. XIII, 58. alios. Istam arborem, si intelligi volebat, magis perspicue, opinor, denotasset Horatius. — 2) Aevum etiam de arboribus usurpari, notum est e Plin. H. N. XVII, 1, 5: „quoniam et de longissimo arborum aevo diximus".

ferri excelsam magni viri gloriam iam dudum comparatam ac per saecula stabilitam, non posse conferri famam adolescentis adhuc viventis, luce clarius est. Hoc unum debebat Ritterum prohibere, quominus de solo Marcello minore haec verba acciperet. Ut igitur arbor tam vetusta, ut, quod aevum expleverit, nesciamus, crescit, i. e. novos emittit ramulos: sic veteris Marcelli fama tanquam nova iam agit germina eo, quod efflorescens nepotis virtus de rebus a se gerendis laetissimam spem excitat. Ergo gloria Marcelli cum arbore comparata crescere dicitur, non quod nunc augeatur, sive maior fiat quam adhuc fuit, sed quatenus minoris Marcelli laude quodammodo continuetur. Hunc sensum cives Romanos bene intellexisse credibile est, quum splendidissimae Octaviae filii virtutes, ut colligere licet e Virg. Aen. VI, 861 et Vellei. II, 93, in omnium ore essent. Intelligi ut facilius possit, efficit quod Julii sideris mentio statim subsequitur, quoniam ex Julia gente per matrem ortus et postea, adoptatus ab Augusto, in eam etiam insitus erat. „Ingens autem „saltus", quo transitus fit a Marcelli aevo ad Julii Caesaris tempora, tantum abest, ut vitio daudus sit Horatio, ut ingeniosum admirari debeas artificium poëtae, qui temporum tanto spatio distantium per unum nomen effecerit iuncturam.

Carm. I, 12, 49 sqq.:

Gentis humanae pater atque custos,
Orte Saturno, tibi cura magni
Caesaris fatis data: tu secundo
Caesare regnes.

His verbis Augustum celebrari gravi morbo, de quo supra p. 13 iam diximus, in extremum discrimen adductum, sed arte Antonii Musae sanatum arbitratur Ritterus. Ait enim, Jovis cura ex mortis periculo ereptum esse principem dicere poëtam. Morbi indicium in verbis *tibi cura magni Caesaris fatis data* non magis agnosco quam I, 2, 45 sqq. Verbum *cura*, quo inductus est Ritterus, ut de sanato morbo cogitaret, aliter interpretandum censeo. Quomodo accipiendum sit, docent quae subsequuntur verba *tu secundo Caesare regnes*, quae significant: tu ita regnes in coelo, ut Caesar a te secundus terram regat. Eandem fere sententiam habes III, 5, 1:

Coelo tonantem credidimus Jovem
Regnare: praesens divus habebitur
Augustus etc.

Sed hoc loco accedit fatorum mentio et iisdem fatis deberi Augusti regnum legimus IV, 2, 37 sq.:

Quo nihil maius meliusve terris
Fata donavere etc.

Per fata igitur constitutum erat, ut summum haberet imperium Jupiter ea quasi conditione, ut Augustum tanquam alterum „mundi rectorem" [1]) non solum ferret, verum etiam tueretur. Ergo verbum *cura* non de certo quodam morbo, sed de tutela, quam Augusto debeat Jupiter, intelligendum est.

Unde facile tibi persuadeas, sine iusta causa statui a Rittero, scripsisse Horatium eo consilio hoc carmen „ut vitam principi servatam gratularetur". Atque ne congruit quidem haec opinio cum iis, quae de v. 53 sqq. in medium profert idem vir doctus. His enim

---

1) Ovid Met. XV, 858 sqq.: Jupiter arces.
Temperat aetherias et mundi regna triformis:
Terra sub Augusto: pater est et rector uterque.

versibus spectari putat iter ab Augusto in Siciliam, Achaiam et Asiam exeunte anno 22 susceptum, ut non videas, quid sit, cur recuperatam principi valetudinem non prius gratulatus sit poëta quam anni spatio praeterlapso. Immo non post annum 23 consignatum esse hoc carmen consequitur ex commemoratione Marcelli, quem hoc anno obiisse supra p. 18 vidimus. Verbis autem *seu Parthos — Indos* suam lucem afferunt proxime sequentia *Te minor latum reget aequus orbem.* Augustus, inquit poëta, toti terrarum orbi imperabit, si Parthi aliique orientis populi erunt domiti. Occidens igitur illo tempore iam erat subactus. Quem fugiat, insignem ita pronunciari laudem Augusti, qui modo prosperrimo cum successu res in Hispania gesserit, quod factum est annis 25 et 24? Quare noli cum Franckio (p. 151) mirari, „cur poëta de Parthis, Seribus et Indis subiectis (?) inania verba fundere maluerit", quam Cantabricae expeditionis mentionem facere. Neque intelligitur, quid „inane" habeant ea verba, quibus cohortatur poëta principem, ut subacto occidente iam orientales orbis regiones imperio addat. Etenim non laudationem, sed cohortationem conditionali ista enunciatione (*seu — sive*) exprimi, fugisse videtur Franckium. Parthorum autem ut mentio fieret, praeter id quod p. 13 ad I, 2, 51 exposui, altera, ni fallor, accessit causa. Venit enim, ut supra p. 7 commemoratum est, anno 25 Tiridates, Parthorum rex, ad Augustum in Hispaniam auxilium petiturus contra Phraatem. Admodum veri est simile, hac re una cum victoria Hispaniensi Romam nuntiata commotum fuisse Horatium, ut in eodem carmine, quo Augustum Cantabris devictis tanquam summum orbis terrarum arbitrum celebraret, eundem compelleret ad peragendum id quod reliquum esset, h. e. ad subigendos Parthos. Ut vero plenior evaderet orientis descriptio, extremarum illius regionis gentium, quarum notitiam haberent Romani, subiecta sunt nomina. Si haec etiam perfecerit Augustus, tum nemini nisi Iovi cedens (v. 57) *latum reget orbem.* Ita si recte explicavimus Horatii sententiam, laetum pro latum a novissimis editoribus male scriptum esse apparet.
